Danskernes Historie Online
Danske Slægtsforskeres Bibliotek

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

Danskernes Historie Online er Danmarks største digitaliserings-projekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

Støt vores arbejde – Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

Links

Slægtsforskernes Bibliotek: https://slaegtsbibliotek.dk
Danske Slægtsforskere: https://slaegt.dk

PIAM MEMORIAM

Illustrissimi & Excellentissimi

HEROIS

DN. MARCI GIÖE

Dni de Brahesborg,

Eqvitis Aurati,

Sac.æ Reg.æ Maj. Dan. & Norveg.

Consiliarii Intimi, Status &

Justitiæ,

&

Supremi Reg.æ Acad.æ Eqvestr.

Præfecti,

nunc Indigetis Beatissimi,

Perennitati temporum

Debito hôc encomiô

dedicat

JOHANNES WANDALINUS D.

HAFNIÆ,

Literis VIDUÆ Joh. Philip. Bockenhoffer.

ANNO M DC XCVIII.

APPROBATIO.

Quod de Publico olim Virginii Rufi, maximi & Clarisſimi Romanorum Civis funere cenſuit Plinius Secundus; id mihi de hac laudatione funebri in Exeqvias Illuſtriſſimi Heroïs Dn: MARCI GIÐE judicandum: Supremus felicitati ipſius cumulus acceſſit, Laudator Eloqventiſſimus. Hafniæ d. XIV. Octobris MDCXCVIII.

P. VINDINGIUS.

Piæ Memoriæ
Dn. MARCI GIÖE.

Inter inſatiabilem Erebi aviditatem, & fatalem communis Naturæ fragilitatem cùm in hac mortali ſcena medium nihil inveniatur, malè actum foret de Virtute, ſi nihil ſupereſſet poſt fata magnorum Virorum, qvod illam venturis ſeculis æternatam, & ſuper ultimos invidentis fortunæ inſultus triumfantem intimaret. Qvod enim eſſet autoramentum generoſis mentibus ad bene agendum, dum in hoc luto hoſpitantur, ſi egreſſas hoſpitio non aura faventior excipiens cœlo inferret; &, dum reliqvis oblivionem apud poſteros vel memoriam brevi

tranſituram fata decernunt, illas vulgo exemtas immortali famæ conſecraret? Etiam, qvos, propter excellentiam, *Deorum* nomine ſacræ paginæ honorant, non excipit à communi hominum ſorte moriendi neceſſitas. It videlicet in orbem iſta tempeſtas, ſine delectu vaſtat omnia, &, ex qvo mortales in terris eſſe cœperunt, plus qvàm octies ſeptenorum experientia ſeculorum docuit, qvanta ſit copia maximorum hominum, qvibus non pepercit hic omnia proſternens caſus, in qvos tot animi bona, tot ornamenta publicè privatimqve congeſta erant. Nihil profuit innocentia ad omnem legem exacta, nihil antiqva frugalitas, nihil felicitatis ſumma potentia, conſervata per totam vitam ab-

abſtinentia, nihil ſincerus & tutus literarum amor, nihil ab omni labe mens vacans. Et qvæ veneramur, & qvæ deſpicimus, unus exæqvat cinis. Senſerunt hæc magni Duces, ſenſerunt Principes, ſenſerunt qvi Diis geniti Deosqve genituri erant, fortè ut noſtrorum funerum levamentum eſſet, etiam Divina concidere.

Qvis itaqve, niſi humani ſenſus expers, ſuccenſeat ingeniis humanis? qvorum per omnes ætates in nulla re magis occupata ſolertia, qvàm in ſiſtenda, ſi fieri poſſet, vel mortis in corpora jam proſtrata tyrannide, vel Temporis in famam defunctorum injuriâ. Ægyptiis qvid ingenioſius, qvibus ars excogitata pollingendi ad longævum duramentum corpora, ut, ſi non

vitam illis, at integritatem per aliqvot ſecula donarent? Iisdem qvid magnificentius, in exſtruendis Pyramidum miraculis, qvarum vel internis ſpatiis animæ, à miniſterio qvidem nexuqve ſuorum corporum, non à vicinia divulſæ, libertatem commeandi habere, vel faſtigiatis ſupra nubes conis ad propinqviora cum cœlo commercia tranſire credebantur. Sed inanes iſti ſumptus, & inſana credulitas, ſi honorem ſepulturæ exceperis, nihil ad defunctorum ſtatum proficiebat, ad memoriam parum. Obeliſcos qvid memorem eorundem? qvid Cenotaphia Græcorum? qvid ſtatuas & columnas ad ſepulcra erectas Romanis, & Regum mauſoléa? qvid urnas ſepulcrales & ab exuviis hoſtium

um ornamenta, etiam Gothis olim noſtris ad tumulos pyrasqve congeſta? qvid Runica Majorum noſtrorum in ſaxis monumenta? Hæc omnia, qvantumvis ad longinqvam poſteritatem celebriorum propagârint funerum recordationem, dudum tamen & ipſa in ruinas abierunt, nec qvicqvam ferè ſupereſt, niſi qvòd memorantur exſtitiſſe. Qvantò rectiùs magnorum famæ Virorum conſulitur per elogia & laudationes funebres, qvibus, ut ære perennioribus & marmore, merita eorum ad omnes ætatum venturarum poſteros recognoſcenda tranſmittuntur. Iſta literarum miniſteria, iis præcipuè debita, qvi aut literas impenſiùs coluere, aut qvid illis dignum geſſere, ſunt certè æterna; nec

nec temporum has poterit teſtes abolere vetuſtas. Iſthæc verè ſunt ἡρωικαὶ τιμαὶ & ſummi honores, qvibus de publica re vitaq; communi benè meriti, non qvidem divino cultu afficiuntur, qvi mos adulatione vel ſuperſtitione Matre aliqvando prognatus, ſed memoriæ æternæ conſecrantur. Atqve id qvidem cùm olim factum vel ab iis, qvi defunctum ſangvinis propinqvitate contingebant, (ſicut Appium Filius, & Fabius Filium ex Populi Romani conſvetudine publicè laudavere:) vel ab iis, qvi eſſent eloqventiſſimi, ut vel ſupremus hic cumulus felicitati defunctorum accederet: Ego qva fronte parentalis illius officii in me partes ſuſcipiam, dicturus de vita & virtutibus Illuſtriſſimi & nunc Beatiſſimi

ſimi Herois, Domini MARCI GIÖE, Domini de Brahesborg, Eqvitis Aurati, Sac. Reg. Majeſt. Conſiliarii intimi, & Regiæ Academiæ Eqveſtris Supremi Præfecti? ego, inqvam, qvem nôrunt omnes neqve à genere ejus longè nobiliſſimo, neqve ab eloqventia, cujus nullam mihi partem tribuo, eſſe commendabilem. Satiúsne futurum, vel pro tanti Herois meritis, vel pro meâ certè imbecillitate, ſi poſt carecta latuiſſem, aliiq; me diſertiori hanc ſpartam, cui ego vix ſufficio, reliqviſſem? Sed qvod mea mihi diſſvadet inopia, hoc imperat neceſſitas, qvâ tum publico meam operam qvalemcunqve debeo, ut ne per intempeſtivum ſilentium clariſſimarum virtutum, qvas nunc & olim re-

cognoſcere ad imitationem vel admirationem juvabit, defraudetur notitiâ; tum Heroicis manibus devinctus ſum, ob aliqvàm multorum annorum amicitiam, qvam mihi cum Beato interceſſiſſe ut ſanctam, Deum teſtor, ita multis nominibus jucundam & utilem non tantùm fateor, ſed & apprimè honori duco. Et verò, qvò familiariùs in ſummi Viri conſvetudinem admiſſus fui, qvò avidius ex illo eruditionis & facundiæ fonte, illo prudentiæ reconditæ theſauro, illo ſanctitatis probitatisq; exemplaris ſpeculo hauſi, qvæ meminiſſe nunqvam pigebit; hoc minùs præſens aut poſtera ætas me ſuſpicabitur conductum è foro Oratorem, aut *argutum Civem ſine veritate, tanqvam præficam.* Adeoq; non

non puto verendum mihi eſſe, ne, qvod Tullius & Livius vitium Hiſtoriæ Romanæ ex funebribus laudationibus illatum qveruntur, id Noſtræ olim imputandum ſit ex mea hac laudum GOYÆANARUM recognitione; qvippe qvi ex animo exoſculor illud qvod idem Tullius refert: apud exeqvias *de mortui laude, cùm qvid veri erat, prædicatum, & mentiri nefas habitum.* In virtutibus itaqve Indigetis noſtri memorandis non abutar vel Lectoris vel mea conſcientia; dicturus ſum, qvàm fieri poteſt, breviſſimè: dicturus, qvod res eſt, ſine ſpe gratiæ, qvam nemo ſanus à mortuo inire ſtuduit: ita deniqve dicturus, ut pulcerrimam vitæ GOYÆANÆ imaginem, non tam omnibus coloribus expres-

preſſam, qvàm tenui penicillô curſim delineatam me tradidiſſe intelligatur.

Atq; ut inde orationis meæ lineam ducam, unde genus & vitam duxit Beatiſſimus GOYÆUS; qvamvis inanis opera videri poſſet, cùm tantam habeamus pulcerrimarum rerum, qvæ dici merentur, copiam, ea vel attingere ſaltem, qvæ non propria fuere Beato, ſed ipſi cum aliis longè inferioribus communia. Imò, qvi, dum hic erat, re ipsâ demonſtrabat, qvòd *virtute deceret non ſangvine niti; & ſolam ſibi atqve unicam nobilitatem eſſe virtutem, tota licèt ſibi atria veteres undiqve ceræ exornarent*, qvomodo, qvæ prima ſibi non erant, inter prima reponi decora pateretur? Ille, inqvam, qvi, de

de proprio ſat undeqvaqve laudis meritus, ſua ſe ipſum claritate illuſtrabat, atq; ita generis ſui vetuſtatem intuebatur, ut ipſe magis per cognitiſſimam virtutem ad veræ nobilitatis gloriam veteraſceret. Intereſt tamen poſteritatis, qvæ ſine affectu de præteritis judicabit, qvâvis data occaſione de Majorum in Patria rebus præclarè geſtis edoceri, eorumq; in generoſiore propagine ſangvinem ſimul & genium per traduces multos integrè continuatum venerari. Intereſt & noſtræ pietatis, eorum, qvæ ſorte naſcendi Heroi noſtro defuncto obvenerunt, bonorum, non minùs, qvàm aliorum, qvæ ipſe rectè agendô ſua fecit, nihil intactum prætermittere. Natalium enim ſplendorem cum am-

plitudine nominis, & ſtirpis ac generis vetuſtatem cum familiæ claritate, cùm non pauci ſint, qvi extollunt; plures, qvi tanqvam adventitium fortunæ paratum irrident: eò qvòd Parentes generare qvidem, illuſtrare non poſſint, & ſæpenumero infinitam ſuæ lucis eclipſin in ſobole experiantur: Ii demum rectiſſimè mihi ſentire videntur, qvi Nobilitatem triplici modo aſpiciunt; &, ſi ex ſolo genere & ſangvine eſt, ut *barbaricam* conſiderant, qvippe cæteris animalibus, qvæ eo præcipuè æſtimantur pretio, communem; ut *Philoſophicam* verò, qvando ſuâ qvisq; virtute ſpectatur, ſit licèt ex Carbonario Patre *M. Scaurus*, vel ex Lanione *Terentius Varro* Conſul: *pulcerrimam* deniq; & *veris-*

risſimam, qvæ mixta eſt, qvando qvis tam ſangvine, qvàm ſua virtute cenſetur. Qvamvis itaq; fieri nonnunqvam ſoleat, ut inertes ſola Majorum ſuorum luce reſplendeant, ſicut loca ſordida repercuſſu Solis illuſtrantur; qvamvis item in honorem Parentum magna ſæpè Filiis conceſſa ſit ad dignitatem prærogativa: ut *Cinnas*, *Cicerones*, *Pompejos*, *Fabios* in petendis honoribus Roma prætulerit, idqve inſigni cum invidia aliorum, qvi cenſui avito prudentiam, fortitudinem, juſtitiam, qvarum major in Republica ratio habenda, meritò anteponebant. At ceſſare protinus iſthæc debet invidia, & genuina agnoſci Nobilitas, ubi qvem videmus rebus benè geſtis admirabilem, qvi ſtabili conjugio

Vir-

Virtutem junxit cum Nobilitate. Qvâ felicitate, cùm, qvi Beato noſtro palmam præripiant, pauci fuerint, pauciores ſuperſint: qvis jure mihi ſuccenſebit, ſi à primis, qvoad mens longiſſimè poterit recurrere, fontibus rivum illum antiqviſſimæ ſimul & veriſſimæ Nobilitatis, ex qvo mixtum Virtuti ſangvinem haufit, traduxero. Sacra eſt magnarum memoria virtutum, qvibus hoc debemus, ut non præſentes illas ſolùm, ſed etiam è conſpectu ablatas colamus. Nam qvemadmodum illæ id egerunt, ut non in unam ætatem prodeſſent, ſed etiam beneficia ſua poſt ſe relinqverent, ita & nos non unâ ætate gratos eſſe oportet. Lubebit igitur ex Antiqvitatum & Annalium noſtrorum penetralibus

bus in memoriam noſtram evocare primò GOYÆOS Fratres, Dominos de *Giſſelfeld*, *Krencherup* & *Kiærſtrup*, qvorum in vetuſto diplomate Sorano Anni M. C. LXXVIII. regnante Valdemaro I. cùm Sacris præeſſet ille in antiqva Daniæ hiſtoriâ famoſiſſimus Archi-Epiſcopus Abſalon, nomina & ceris impreſſa inſignia viſuntur. Ex ambeſis tineâ membranis, qvibus Annus MCCVIII. adſcriptus, qvæq; in arce nobili *Kiærſtrupiana* Lalandiæ aſſervantur, intelligimus, eandem arcem olim GOYÆANÆ familiæ adhæſiſſe. Inter *Halſtedienſis* qvondam Abbatiæ monumenta antiqviora unum ſupereſt Anno 4to Seculi XIV. exaratum, in qvo legimus HENRICUM GOYÆUM Eqvitem

cum duobus Filiis ſe ſuaq; omnia hæreditaria bona iſti Eccleſiæ addixiſſe. Nec minùs ex memoratis *Kiærſtrupienſibus* membranis de alio HENRICO GOYÆO de *Kiærſtrup*, ejusq; Germano MAGNO GOYÆO de *Krencherup*, obſervatum eſt, eos Anno MCCCLXXXI. prædia qvædam ſua conſobrino AXELIO GOYÆO per venditionem ceſſiſſe. Pro vetuſtiſſima Gentis nobilitate declarandâ hæc ſufficere poſſunt. Sed ex ſeqventibus deinceps ſeculis non niſi eos producturi ſumus, qvi præclaris de Patria meritis famam ſuam poſteris conſecrârunt. Inter qvos primum damus MAGNUM GIÖE, illuſtre ſub Erici Pomerani Regno nomen, Dominum de *Giſſelfeld*, *Krencherup*,

rup, & Harreſted in Scania, ubi & habitavit; tanti in aula habitum, ut obortam eum inter & comparem virum diſceptationem Regina PHILIPPA ſua componere autoritate non grave duxerit Anno MCCCCXXVIII. Qvi idem, ſub Regimine CHRISTOPHORI BAVARI, cum aliis Regni Proceribus leges qvasdam provinciales Lalandiæ rogavit Anno ejusdem ſeculi XLVIto. Triginta ſeptem pòſt annis ESKILLUS GIÖE de *Giſſelfeld* in conventu Halmſtadienſi inter reliqvos Regnorum Daniæ & Norvegiæ Senatores JOHANNEM, CHRISTIANI I. defuncti primogenitum, ſacramentô renovato Regem dixit; & paulo pòſt, vivo & volente JOHANNE Rege, idem cum

cum Collegis ſuis totius Cleri, Ordinis Eqveſtris, populiqve de CHRISTIANO II. ejus Filio, in Regem Daniæ jure ſucceſſionis poſt obitum Parentis legendo, ſuffragia ferebat, fide ſolenniter datâ, anno ſc. ſeculi LXXXVII. Tertio decimo exinde annô inter Eqvites pro Rege & Patria in prælio cum Ditmarſis intrepidè, licèt infeliciter, pugnantes & ſangvinem ſtrenuum profundentes Dominus CANUTUS GIÖE numeratur. Et mox ſub eodem JOHANNE Rege ejusqve Succeſſore CHRISTIANO II. magnâ & nunqvam intermoritura prudentiæ, fortitudinis & fidelitatis laude inclaruerunt, par incomparabile Heroum, MAGNUS GIÖE de *Krencherup & Bollerup*, &

& HENRICUS GIÖE de *Giſſelfeld.* Ille, qvàm carus Regi ſuo fuerit, Hiſtoria noſtra uberrimè teſtatur; dum inter Delegatos à JOHANNE ad transactionem cum Svecis Anno M.D.V. Calmarniæ inſtitutam, de his per contumaciam abſentibus, ſententiam ex pactis inter tria boréa Regna conventis juſtiſſimam ferebat. Biennio pòſt Pacificationi Nycopienſi inter Regem JOHANNEM & Civitates Hanſeaticas, arbitris per Legatos ſuos Galliæ Scotiæq; Regibus, cum aliis interfuit. Iterum bienniô intercedente Svecos, ad meliorem mentem redeuntes & Hafniæ pacem rogantes, unà cum aliis à Rege nominatis, in juratam obſeqvii fidem recepit. Idem verò qvàm fidus Principi ſuo

exſtitit, re & nomine MAGNUS, nemo ignorat, qvi res CHRISTIANI II. levi oculo perluſtravit. Qvippe non tantùm rebus ejus ſecundis ſtrenuè adfuit, nuptiarum ejus cum ELIZABETHA Auſtriacâ primarius Conciliator & pronubus; ſed & poſtea tumultuantibus Svecis, vacillantibus in fide Norvegis, ipſis etiam Danis obſeqvium tandem publicè detrectantibus, ſolus hic ferè inventus eſt inter Proceres & Eqvites, (ipſe tunc Regni, ut vocant, Mareſchallus) qvi labantem Regis fortunam ſiſtere, hortari ad pœnitentiam criminis præcipites rebelles, ſuô exemplo ad conſtantiam in fide Regi debita præire ſatagebat, nullis à recto tramite abductus ſolicitationibus, nullis deter-

territus minis aut periculis: donec tandem CHRISTIANO in fuga morante, ideoqve ſolenniter abdicatô, (qvô jure, qvâve injuriâ, hîc lateat,) ut finis eſſet calamitati publicæ, FRIDERICO I. glor. mem. Regnum capeſſenti fidem operamq; ſuam addixit. Sub cujus deinde Imperio & Succeſſoris Divi CHRISTIANI III. honoribus, opibus & annis, ſupra ſeculi illius Magnates eminens, ſua in Deum inqve veram religionem tum renaſcentem pietate meruit, ut inter primos hujus non tantùm cultores ſed & promotores in hoc Regno cenſeatur. Alter & proſapiæ ejusdem & meritorum conſors HENRICUS GIÖE, non minore erga Regem ſuum obſeqvii, majore verò fortitudinis gloriâ

riâ inclytus, Civitates & Præfecturas, Hafnienſem in primis & Malmogienſem, à CHRISTIANO II. ſuæ fidei commiſſas ſat longô tempore, medias inter belli inteſtini procellas, prudenti regimine Domino ſuo ſervavit; & Hafniam qvidem, cui præſens moderabatur, non niſi poſt octimeſtris obſidii ſummas anguſtias & famis inauditæ diritatem, deſperatasqve planè ab exule Rege ſuppetias, victori FRIDERICO permiſit: ita tamen, ut primariam Regni ſedem, non Regem ipſum, qvantumvis ab omni ope deſtitutum, deſeruiſſe videatur. Maluit enim voluntario exiliô Fortunam Regis ſeqvi, cumq; omnium fortunarum ſuarum diſpendio intemeratam ſervare, cui dederat, fidem, qvàm Pa-

Patriæ ſe credere, nondum, ut putabat, ſeditionis puræ; cujus ortui, qvantum poterat, & progreſſui obſtiterat. O raram, iſta ætate, & nullius venturæ oblivione prætereundam legitimi obſeqvii conſtantiam! Cæterùm non Mares tantum GOYÆANA ſtirps, ſed & fæminas produxit virtutis avitæ pulcritudine conſpicuas. Una erat inſtar omnium Domina BRIGITTA GIÖE, maximi Herois Domini HERLUFI TROLLE conjux, MAGNI GIÖE, qvem proximè laudavimus, filia; cujus generoſam pietatem admiratus eſt ſuperioris ſeculi in Religione fervor, & noſtrum ſecuturaq; recognoſcent in Schola HERLOVIANA illuſtri, hujus qvamdiu in Sialandia ſupererunt reliqviæ. Fi-

dem excedit, qvod tamen ex fide memorant, illuſtriſſimam Heroinam, ſtatim ab exceſſu mariti, ſplendidam arcem Herlovianam, cum omni ſupellectile pretioſa prædiisqve magno numero adjacentibus, ſuo jure abdicatam pio uſui, cui cum marito nuper deſtinaverat, qvò maturiùs procederet, conceſſiſſe; ſeqve vili abdidiſſe tugurio, per reliqvum vitæ tempus precibus & cultui divino unicè intentam, ſuisq; manibus, qvod rem lintearіam novi ſeminarii juvaret, conficientem. O humilitatem verè Chriſtianam! ô ſanctam munificentiam! in qva per contemtum ſeculi & amorem DEI de opibus fluxis, faſtu & voluptatibus, etiam innoxiis, genuina pietas triumfabat! Et qvid memorem plu-

plura ejusdem familiæ decora? Qvid AXELIUM GIÖE Eqvitem ſuis impendiis FRIDERICO I. Regi promtiſſimè militantem? Qvid HENNINGOS, MAGNOS, HENRICOS GOYÆOS funebrem Divi FRIDERICI II. pompam ultimis officiis multa cum dignitate deducentes? Qvid deniq; ABSALONEM GIÖE Regni Senatorem ſuâ manu & cerâ Regium Scholæ Soranæ Regiæ, ab eodem Semideo Rege fundatæ, diploma obſignantem? Notiſſima dico; nec qvisqvam dubitat, qvi Faſtorum implorat memoriam, illuſtriſſimam à multis retrò ſeculis fuiſſe GOYÆAM proſapiam: in qva tot Curules, tot ornamenta, tot cenſus ad noſtram usqve ætatem emi-

eminuerunt. Et verò, ut ſapienter judicavit Theodoricus Rex, apud Caſſiodorum, *certa bona ſunt, qvæ fidem ab exordio trahunt; dum origo neſcit deficere, qvæ conſvevit radicitus pullulare. Fertur enim curſu perenni fontium vena vitalis, & hanc conditionem ſuſtinent cuncta manantia, ut ſapor, qvi conceſſus eſt origini, niſi per accidentia fuerit fortè vitiatus, neſciat rivulis abnegari.*

Jam ad Indigetem noſtrum ut revertamur, nihil exploratius eſt, qvàm clariſſimis Majorum ſuorum imaginibus non aliter delectatum, ac ſolent generoſiores animi, qvi innato igne ſub præcordiis incaleſcunt ad tantorum decorum imitamentum; atq; iſtis maximè calcaribus ad ea, qvæ honeſta, qvæ pulcra, qvæ glorioſa, concitantur.

Nô-

Nôrat ex Tullio, qvem adoleſcens evolverat, in Heroicis familiis vim Naturæ præſtantiorem eſſe, qvàm in reliqva multitudine, & virtutis ſemina generatione communicari liberis; tantamq; neceſſitatem poſſidere paternum & maternum ſangvinem, ut, qvod ex eo profectum decus, non intermori debeat. Qvo magis inflammatus Noſter ad virtutem, maluit per laudatiſſima Majorum ire veſtigia, atqve parem avitæ gloriæ animam poſſidere, qvàm veteres numerare ceras, vel ſolas nobilitatis teſtes literas Majoribus collatas obſervare. Sic autem ſuæ ſibi originis conſcius ſecum aſſiduè reputabat; donec ab educatione Parentum ſedula, ſuaqvemet ad pietatem, ad literas, ad artes habi-

tusqve Generoſo dignos adſvefactione, talis in omnium conſpectum prodiit, in qvem, ut in centrum circuli concurrunt undeqvaqve radii, ita non vanis auguriis colligebant oculatiores fore, ut convenirent omnia ornamenta, qvibus Majorum ſinguli ſingulis conſpicui publicam Patriæ vel utilitatem auxerant, vel gloriam. Nec ſpes fefellit augurantes; ita enim annis juxta ac animo maturus per omnes gradus vitam inſtituit, ita ad omnem inclareſcendi materiam vires exſeruit, non fatigatus laboribus, non victus periculis, qvæ ſtruit æmulatio, non irretitus laqveis, qvos blandientia nectunt voluptatum agmina: ut conſtaret, incrementa fortunæ, qvæ habuit, non paternæ, ſed pro-

propriæ ejus fuiſſe virtutis præmia. Fortunam tamen qvid dico? cujus ille arriſum rectè geſtorum conſcientiæ longiſſimè poſthabuit, ſatius exiſtimans ab ipſa virtute ſudorum mercedem, qvàm à fortuna mercari; qvæ, ut cæca eſt, ita cæcô arbitrio ſæpenumero *repellit Catones & admittit Vatinios.* Nec unqvam illi credidit, etiamſi videretur pacem agere: qvin omnia, qvæ qvandoq́; in eum indulgentiſſimè conferebat, eô loco poſuit, unde poſſet ea ſine motu animi ſui aut indignatione repetere. Virtutem itaqve ſolam ſuſpexit; hujus ſtimulis accenſo nullum ita confragoſum aut arduum iter ad divinæ humanæq́; ſapientiæ faſtigium, qvod non indefeſſi laboris pertinaciâ ſuperavit: hu-

hujus nobili œſtro percitus objectos ab invidia cuneos perrupit & fortunæ nondum reconciliatæ ſufflamina disjecit, ſolâ tutus innocentiâ, qvam fervidiùs ſectantur boni, qvàm inſectantur mali. In ipsâ ſæpè felicitate, qvid contra infelicitatem valeret, expertus neq; lætis ſe rebus inflavit, neq; adverſis contraxit; ſed adverſus utrumq; ſtatum invictum animum tenuit, invictæ jam firmitatis. Nec finxit ſe talem Heros noſter, cujus inter primarias dotes erat pectus in fronte, animum in lingva geſtare, aviti candoris ex aſſe hæres, cuiq; nihil minùs in deliciis fuit, qvàm pro genio guſtuq; ſeculi *farcire centones*, vel mentem diſſimulando verbis fallere. Dantur, fateor, qvi volunt videri eſſe, qvod

qvod non ſunt; & figuram, qvam induunt, ſat longô tempore ſuſtinent: nec aliud in rebus humanis magis dolendum, qvàm laudari inſuper iſtos fallendi artifices: licèt in publicæ rei procuratione nonnunqvam fortè verum ſit, qvod ait Baſilius M. *honeſtam aliqvando & laudabilem eſſe calliditatem.* Sed ficta citò in naturam ſuam recidunt; qvibus veritas ſubeſt, qvæqve, ut ita dicam, ex ſolido enaſcuntur, tempore ipsô in majus meliusq; procedunt. Eloqventiâ, ut plurimum valuit, ita nunqvam abuſus, res intricatiſſimas, ſive prudentiæ civilis momenta velles, ſive ſcientiarum arcana, ſive doctrinæ purioris pondera, ita expediebat qvovis ferè idiomate politiori, ut, qvam cum

proximis Apoſtolorum ſucceſſoribus, aut cum Mithridate exſtinctam crederes, lingvarum copiam in GOYÆO noſtro ad miraculum penè refloruiſſe videatur. Veſtram appello conſcientiam, qvi eo differente non ceram obdidiſtis auribus, an qvid unqvam acceperitis vel pro re nata dictum politius, vel caſtigatius, vel tempeſtivius? Et tamen pro veritate, pro cauſæ merito, pro afflictis, pro communi bono, omnis iſte dicendi apparatus, iſta lingvæ inſtructiſſima armatura conſtanter militabat: ſemper de ſuis meritis parciſſimè, de aliorum magnificè & copioſè loqvi amans, &, qvod caput rei eſt, cauſam DEI piè & religioſè, Regis ſolicitè & fideliter, qvoties occaſio ferebat aut im-

imperabat neceſſitas, orare. Sed abripior ferè hoc virtutum ſplendidiſſimarum torrente, qvarum ſingulas præſtat in vitæ exactiſſimæ curriculo ſeorſim ſpectare, qvàm præcipiti dictione omnes in unum textum conglomerare. Ignoſce verò L. B. erranti calamo Scriptoris, cui, licèt magnitudo doloris in tanto funere delectum verborum eripiat, &, ſi publicè dixiſſet, vocem qvoq; ipſam ſæpè intercluſiſſet, non licuit tamen hoc abſtinere officio. Certè infenſum eſſet humano generi nomen, & redivivus aliqvis ex infelicitate Attica Timon, vel mutus Hipparchion, qvem non tanta clades afficeret. Amiſit Regum Optimus & maximus Miniſtrum ac Conſiliarium, in qvo cum exqviſitiſſima re-

rerum cognitione certabat ſumma obſeqvii integritas. Amiſit Patria ſidus lucidiſſimum, Literatorum ſocietas Mecænatem faventiſſimum, Reg. Academia Eqveſtris Præfectum vigilantiſſimum, Herlovianæ Muſæ Apollinem ſuum deſideratiſſimum. Ut multa paucis complectar, Davidis de Abnero verbis utor: *An neſcitis Magnum virum cecidiſſe in Iſraele?* Qvod reliqvum eſt, qvàm fuerit illi per ſingulos vitæ gradus veri & recti purus amor, in maximis rebus perſpecta fides & prudentia, Literarum & Lingvarum admirabilis uſus, in Deum inconcuſſa mentis fiducia, in ſuos ſine fuco pietas, in alios comis benevolentia, nunc compoſita ad brevitatem enarratione per partes recenſebo.

Na-

Naſcentem in prædio avito, cui ab *Albo fonte* nomen, Anno MDCXXXV. d. 21. Novembris, excepit Fionica tellus, illa inter ſororiantes Codanoniæ noſtræ inſulas ut amœniſſima, ita non frugum magis aliorumq; Cerealium donorum, qvàm nobilium animarum feraciſſima; in qva tot lauri triumphales ex effuſo ſtatariis præliis hoſtium ſangvine enatæ invictam Gentis noſtræ fortitudinem non una vice exornarunt. Parentes longè Nobiliſſimi & Generoſiſſimi Dnus FALCO GIÖE in Hvidkilde, ſummus deinde Regiæ & Eqveſtris Soranæ Academiæ pariter & Scholæ Præfectus, & Börlumenſis ditionis Gubernator & Domina CATHARINA BILDE ſalutaribus Baptiſmi a-

qvis ablutum MARCUM nominarunt. Qvo nomine vix aliud in Latio veteri illuſtrius, vix aliud in Faſtis freqventius, ſive Conſules & Tribunos, ſive Dictatores & Cæſares recenſes: nec ignotum inter Eccleſiæ rudimenta nomen: ut hinc ad pietatem, illinc ad virtutes Reipublicæ utiles vel ſolâ nominis recordatione, etiam nondum ephebus, accenderetur. Sed, ut vana ſunt ſine rebus nomina, ita rerum, qvæ adoleſcentiam Marci noſtri formarent, Juventutem ornarent, Virilem ætatem juvarent, perficerent Senectam, maturè ſemina jacta ſunt; Parentibus ea de re præcipuè ſolicitis, & benè gnaris, ingenia, qvantumvis avida in diſciplinam & eruditionis avara, non ex ſeſe concipere, (ut de tro-

cho

cho exſangvi aqvatico tradunt) nec in magnum aliqvid ventura absqve præceptis aliunde inſtillatis: planè ſicut beatiſſima gleba non profert frugem, niſi antè infuſam, ſæpè etiam qvò beatior, hòc, ſi negligitur, ad ſentes tribulosq́; luxurioſior. Itaq́; intra ſanctiſſimos Genitorum penates ab ipſis inde ſerperaſtris prima Religionis ſinceræ fundamenta & literarum elegantiorum tyrocinia poſuit, non innatis tantùm indolis experrectæ ſtimulis, ſed & exemplis domeſticis, qvô genere informationis nihil efficacius, ad cultum animi & oris properandum concitatus. Atqve ſic exacta teneriore ætate, cùm penè ex ephebis excederet, non ultrà conſultum rati Parentes, tam expertum pri-

va-

vatæ alacritatis genium, domi deliteſcere; Soranæ literarum meliorum orcheſtræ deſtinabant: cùm ecce commodùm accidit, ut Regiæ Majeſtatis literis ad Præfecturam ejusdem Regiæ & Eqveſtris Academiæ Parens Beati noſtri evocaretur, Succeſſor datus conſpectæ generoſitatis Heroi Domino HENRICO RAMELIO. Et verò peropportuna hæc fuit occaſio Noſtro per adultiores in ſtudiis profectus inclareſcendi, dum inter Alumnos nobiles (qvos Divi FRIDERICI II. pietas educari in ſplendido illo ſeminario ad ſpem Reipublicæ conſtituerat,) creditus laudabili curæ Clariſſimi Viri Mag. NICOLAI SEERUPII, Scholæ tum Rectoris, ſi qvis unqvam, ſolertiſſimi, ita tamen ut, dum

dum ab hujus ore penderet, à latere Parentis, ut morum induſtriæqve inconnivi Arbitri, non diſceſſerit. O felicem Noſtrum! cui tantus contigerat per naturam Ephorus, & per fortunam tam fidelis ſimul & Lyncéus moderator. Sed & ô Vos felices Animas! qvæ tantum nactæ Alumnum, in qvo ad doctrinam virtutemq́; ornando veſtra inter ſe ita amicè certarunt conſilia, conſpiravit ſedulitas, ut dubium fuerit, pluſné debuerit Parenti ut Filius, an Præceptori ut Diſcipulus; certum verò, & ſpem illius, qvantacunqve fuiſſe credatur, ſuperâſſe obſeqviô, & hujus præceptiones fatigaſſe docilitate. Cæterùm, dum hic pulvis teritur colligiturvé, tres meſſes peractæ ſunt, qvarum intra de-

curſum ita omnigena literaturâ, cujus iſta qvidem capax adoleſcentia, imbutum, ita virtutum primis ignibus percoctum pectus habuit GOYÆUS, ut ex umbra gymnaſtica in apertiorem productus lucem anno ætatis ſextò decimo Academiæ eidem prænobili Civem egregium dederit. Vidiſſes illic aqvilam, non ex imbellibus & adulterinis unam, ſed genuinam & maſculam, pennis ingenii à Natura datis, mirificâ alacritate, per ſublimia ſcientiarum volantem; nec tamen Icaria temeritate, ſupra qvàm poſſet, affectantem, aut præ nimia feſtinatione è gradu præcipitem: ſed totô qvadrienniô ad Solem defecatioris eruditionis oculis irretortis adſpiciendum rectâ via, libratis animi

mi motibus, adeò elatum & adſve-factum, ut ad illius poſtea vim ſplendoris vix unqvam Ipſius oculi caligârint. Habuit enim per iſtud temporis ſpatium juventutis ſuæ primam partem inter uberiorem corporis animiq́; cultum diviſam & exercitam; interq́; Academica & Eqveſtria duratus experimenta *meruit magnæ gloriam indolis, & præſtantiſſimorum in* qvalibet arte Roſciorum acclamationes. Inter palæſtritas nemo agilior, in hippodromo nemo peritior, in orcheſtra ſaltatoria nemo ornatior, inter lingvarum peregrinarum formatores nemo freqventior; ſed inter Muſegetas præcipuè, nunc cum Muſis Gratias commiſcere, neceſſaria, utilia, curioſa indefeſſô labore conqvire-

rere: nunc, qvod rarum hodie in Nobili juvene, etiam publicis Doctorum judiciis ſe exponere, pro roſtris orare, conſerere doctos ſermones, ex cathedra velitationes inſtituere, ubiqve ex Zenonis inſtituto *lingvâ in mentem intincta* diſſertare. Qvæſo vos, qvi nobili vos proſapia ſatos dicitis, qvæ mala peſtis vos à publica Academiarum luce abigit? an, qvòd infra dignitatem Natalium putatis, eruditis publicè miſceri commerciis, & à literis laudes affectare? Fallimini! Antigonum Regem neſcitis ſcriptâ ad Zenonem Philoſophum epiſtola faſſum, longè ſe ab eo & dignitate & felicitate præcelli. Nobilitatem veſtram ſupra illam Alexandri Magni extollitis; qvô nato nihil Patri Philip-

lippo lætabilius viſum, qvàm qvòd ſupereſſet Ariſtoteles, à qvo Regius Adoleſcens in Peripato informaretur. Credite mihi, nihil ferè eſt generis amplitudo & nominis claritas, ſi nullum ab eruditione aut virtute lumen accedat. Profectò non excreſcunt ſub tecto plantæ parilem ad florem ut in horto aprico, ubi communi rore irrigantur, communi calore foventur. Non in umbra miles, ſed in publico fit Imperator. Non in ſpelunca Leo, ſed in campo cognoſcitur. Nôrant id Spartani & ſuorum Juvenum luſus non à Parentibus, ſed à Civitatis natu Majoribus ſpectari volebant. Nôrant & Indi, qvi filios in publico concilio præſentes, ut publicè inſtituerentur, exhibebant. Et, ſi ab

Academiis hauriunt Curiæ prudentiam, Tribunalia juſtitiam, Eccleſiæ doctrinam, utiqve Nobiles Adoleſcentes in Academiarũ luce intuendi, ubi adeſt virtutis & induſtriæ excitatrix æmulatio, nulla verò aut mollis educatio, aut animorum corruptrix indulgentia.

Sed ad GOYÆUM noſtrum redeo; cujus nativa nobilitas virtutum & literarum luce colluſtrata, &, ut ita loqvar, magis nobilitata, latiùs erumpere, inqve celebriorum extra Patriam hominum cognitionem & profuturam familiaritatem ſe inſinuare, atqve, qvid inter Gentes alio ſub ſole calentes ſuâ vel ſagacitate poſſet vel prudentia, experiri geſtiebat. *Ripis* ergo, vetuſto Cimbrorum ad occidentale littus oppido, comite HEN-

HENRICO fratre, ſolvit 15. Aprilis Anno M DC LV. directo *Amſtelædamum* itinere, illud ut primùm oculis delibaret univerſi orbis compendium; planè ſicut, qvos delectat Geographia, prius qvàm ex particularibus tabellis ſingulas Terrarum partes ſeorſim addiſcunt, totam univerſæ telluris ſuperficiem in generali Mappa ſibi repræſentant. Venit itaqve, & vidit in hoc œcumenicum emporium convehi qvicqvid opum Tagus atqve Hæmus vehit & Pactólus & Indus. Vidit hic vicinarum Regionum ad Cimbros & Gothos & Sarmatas usqve apothecam; vidit miſceri cum Europæis accolas Gangis, cum Boréis advenis Mauros & Sabæos. Vidit urbis magnificentiam, nitorem,

rem, diſciplinam. Vidit ſingula, & miratus, qvid inde transferri in Patriæ uſum ingenioſa imitatione poſſet, anxiè expendit. Mox, qvò ferebatur animus, *Trajectum ad Rhenum*, nobilem tunc florentioris doctrinæ ſedem, divertit; ubi Doctorum colloqviis, & explorando Provinciarum ſtatui trimeſtrem operam impendit. Verùm, ut acceperat, in Veteri *Vangionum* oppido, qvod *Heidelbergam* vocant, ex cineribus ſuis nuper revixiſſe vetuſtiſſimam Germaniæ Academiam; animam illi novam ipsô, tanqvam Apolline, inſpirante CAROLO LUDOVICO Electore: & refloruiſſe in eâ non modò antiqvam literarum gloriam, ſed & accuratam Eqveſtrium exercitiorum diſciplinam: eò viam

am maturavit, in qvâ, non obiter aut curſim perluſtratis ad *Rhenum* & *Mœnum* primariis urbibus *Colonia Agrippina*, *Moguntio*, *Francofurto*, *Darmſtadio*, ipſam tandem Palatinatus inferioris Metropolin ingreſſus eſt. Nec defuit hic exoptata ipſi occaſio, per varia magnæ indolis documenta Aulæ ſimul Electorali & Academiæ innoteſcendi; cùm in ore omnium eſſet, & is haberetur, de qvo ſibi qvamprimum ſua Ithaca plurimùm gratularetur. Inde, poſt octimeſtrem moram, initio veris Anni M DC LVI. inſtitutô per viciniores nobilioresq; Germaniæ Provincias curſu, ad *Vindebonam* Cæſarum Regiam penetravit, obviasqve tam Civitates, qvàm aulas Principum politiores ſolicita ubi-

qve curâ inſpexit. Sed ne credas tamen ipſum feſtinatiore hôc circuitu ad ſenſus aut ſolum aſpectum plura qvàm ad mentem & ſalutem retuliſſe, coronariorum ad morem, qvi belliſſimas ſaltem herbas floresq; ſtruppis aut coronis innectunt, ſalubrium nullâ cura. V*ulgare* putabat, cum voluptate ſolùm non cum fructu vagari, luſtrare, diſcurrere; *ſuum* verò, indagare & diſcere, id eſt verè peregrinari. Ut enim, qvi jaculum mittunt, non in vanum dirigunt, ſed ſcopum, ad qvem collíneent, præſpeculantur; ſic ille conſilii ſui certus obſervare curioſa, conqvirere utilia, & qvicqvid vel doctrinæ vel morum elegantiæ inſerviret, ſuum facere adnixus. Jamqve Gallias, ut cultiorem Euro-

ropæ partem, animo meditans, per *Alſatiam* utramq́; & potiores *Helvetiæ* ditiones, *Baſileenſem* utpote *Rauracorum*, *Salodurenſem*, *Bernatem & Friburgenſem*, *Genevam* acceſſit, parvam Rempublicam, ſi mœnia ſpectas & numerum Civium, at, ſi prudentiam Senatus, induſtriam hominum exactamq́; ad leges politicas vivendi rationem conſideras, magnam & qvæ longè majoribus exemplum eſſe poſſit. Hinc per *Sabaudiam*, flexô tantiſper ad *Gratianopolitanos & Lugdunenſes* curriculô, *Lutetiam Pariſiorum* contendit (alteram illam Phæbi Regiam, illum inferioris globi oculum, & ferè miraculum) qvam CAROLUS V. Imperator, *non urbibus, ſed propter amplitudinẽ, & populi rerumqve omni-*

omnium vim provinciis accenſendam dixit. In cujus admiratione ita per qvindecim menſes hæſit GOYÆUS, in una urbe totius non Galliæ dicam, ſed Europæ epitomen agnoſcens, ut, qvò plura in rem ſuam rimabatur, hòc reſtarent majora. In primis autem Aulæ magnificentiam, urbanitatem & ſtupenda reliqva ſuſpexit, ad ſatietatem animi, meliora ſemper ſcire & ſeqvi ambientis, non ad irritamentum luxuriæ. Anno ſeqvente rivos in vaſtum hunc divitiarum ſumtuumq; gurgitem ſe exonerantes, indeqve iterum per attractos qvaſi imbres exundantes perſecuturus, prolixiore circuitu, præcipuas primùm ad Ligerim urbes permeans, *Aremoricas Britanniæ minoris* Gentes adiit, & mox

mox verſo itinere ſuccedentes ſibi invicem magnas & felices Provincias *Pictavienſium*, *Inculismenſium*, *Santonum*, *Septem populorum* ſive *Vaſconum*, *Occitanorum*, *Provinciam* ad usqve percurrit. Et qvid aliud viſum ſedulo Viatori, niſi Galliam totam eſſe unam urbem qvandam in regiones & vias diſtinctam? in qvâ, ſicut in formicarum receptaculis nihil eſt inane, ſed omnia ſolertiſſimo animalculo in cumulos ſine numero circumrepente pleniſſima, ita omnia hominibus, opificiis, opibus infarcta. Harum etiam fontes inexhauſti non latebant, cum obſervaret agros paſſim *frugibus* luxuriantes, qvarum ingēs vis ſublevandæ vicinorum inopiæ transvehitur, in Hiſpaniam maximè fa-

melicam, tanto cum fœnore, ut *Hiſpani directum Peruviæ Dominium, Galli utile habere videantur.* *Vini* tantam copiam, ut bibaciſſimis ad Septentrionē populis ſufficiat; exqviſitiſſimam qvoq; Italorum gulam priſcis temporibus ſibi fecerit vectigalem. *Salis* præſtantiſſimi immenſos cumulos, qvos hic terra ſuppeditat, illic Oceanus litoribus acervatim alluit. *Lini* deniq; & *cannabis*, qvo ſine nec Ægyptus admoveretur Italiæ nec diſſitæ Orbis plagæ ad mutua humanitatis officia coirent, qvæſtuoſiſſimum provenrum. Detectum inſuper GOYÆO, qvibus aliis ſine numero muneribus Gallias, haud certè novercali ſtudiô, Ceres beaverat, qvibus qvæq; ditio alias excelleret; qvæ ſingulis ur-

urbibus artes mercésve locuplétem victum conciliarent, qvæ passim Naturæ admiranda: qvod a Legibus ubiq; præsidium, qvis populorum genius, qvæ ratio vivendi, qvæ Magistratuum instituta? Vixq; transeunti aliqvod ex oculis elapsum, cùm decem alia comparebant circumspicienti. Verùm, qvò fatigata magis hâc rerum copia Spectatoris nostri solertia, hòc ardebat magis in nova. Qvapropter *Italiam* cogitans, *Lugduno* iterum salutatô pedem promovit, & peragrato *Delphinatu*, superatisq; Alpibus *Augustam* primò *Taurinorum*, deinde *Genuam*, &, hanc non mediocri studio perscrutatus, per *Alexandriam Novaramq;*, Lombardiæ fertiliſſimos agros oculis subjecit, ipsumq;

ſumq; *Mediolanum*, opulentia, publicorum operum magnificentia, & Civium inqvilinorumq; (Nobilium maximè) freqventia ſpectabile. Placuerunt hic inter alia Bibliothecæ Ambroſianæ Manuſcripti Codices, & Ptochodochium locuples, cui ſimile vix alibi reperitur. Tranſitis poſt hæc *Breſcia*, *Vicentia*, Antenoris Urbe *Patavio*, ſubſtitit *Venetiis* Anno ſeculi 58.vo ipſis Martii Calendis; qvo tempore inſtantis qvadragenarii jejunii prodromi dies geniales totam Civitatem, infinito advenarum concurſu ſe majorem, ad feſtivas omnis generis lætitias invitârant: illaudabili meretricis Romanæ conſvetudine, inter alia & hoc abominationis poculum ſuis amatoribus propinantis, qvaſi poſt

poſt indultas per iſta bacchanalia licentiæ improbæ vices, non Chriſto ſed Veneri ſacra facturis. Qvid hic Noſter? Vidit, & ingemuit; uſus tamen oportunitate & genium populi & faciem Reipublicæ perveſtigavit; qvomodo cum incredibili conſervandæ libertatis ſtudio ſumma in judiciis ſeveritas, in conſiliis prudentia, in adverſis conſtantia ſalvam eam invictamq; præſtiterant penè nongentis annis, nullis debilitatam ſeditionibus, limitibus verò potentiæ eò terra mariq; prolatis, ut magnis Principibus terroris infigat aculeos. Tandem, qvæ reliqva hic erant viſu vel auditu digna cùm percepiſſet, *Romam* iter capeſſivit, vectusq;, trans ditiones *Ferrariæ*, *Mantuæ*, *Gvaſtallæ*, *Mirandulæ*,

Parmæ, *Mutinæ*, *Bononiæ*, acceſſit *Ravennam*: qvâ poſt moram aliqvam relictâ, viſit ad littus Adriæ *Forolivienſes*, *Ariminenſes*, *Piſauros*, *Fanum*, *Senogalliam*, *Firmanos*, & poſt *Anconitani* portus, *Lauretaniq*; ſanctuarii (Idoli potiùs) ſpectacula, brevi per *Tolentinos* & *Spoletanos* agros Romam tranſiit. Septicollis iſta Pontificum ſedes, olim Gentium Regina, inſigni cum Majeſtate GOYÆO ſe offerebat; ſive novam ejus faciem, in Baſilicis, palatiis, collegiis, qvorum ſingula detinere ſolicitum poterant, inq; externa Purpuratorum & Principum pompâ, ipſiusq; Vaticani Jovis tremenda autoritate, tot hodieq; Gentibus adorata, conſiderabat: ſive veterem illam in reſiduis antiqvæ magnitudinis reliqvi-

qviis, in Thermis, aqvæductibus, amphitheatris, porticibus, arcubus triumfalibus, obeliſcis, aliisq;, etiam nunc reſtantibus, antiqvæ gloriæ documentis recolligeret: ut meritò ſecum diceret, hæc Romæ, qvalis ante Gothos olim Hunnosq; & Vandalos fuerat, legens rudera, *Romam fuiſſe.* Poſt diem Soteriorum Româ egreſſus *Neapolin* perrexit, &, poſt inſpecta non perfunctorio oculo, qvæ in magnificâ urbe magnô numerô occurrebant, canæ antiqvitatis veſtigia; vicina qvoq; peregrinantibus freqventata, *hic* ignivomi montis *Veſuvii*, *illic* calentium *Bajarum*, *iſtic* frigentium *Puteolorum*, alibi *antri Sibyllini*, *Pauſilypi*, *lacusq;* *Averni* miracula, Urbem Qvirinalem, eodem qvô ſalutaverat

rat menſe, reviſit. Ubi integro anno commoratus non uni Principi Viro familiariter innotuit; qvóqve propiùs res Italicas pernoſceret & in arcana Gentis, qvoad poſſet, perrumperet, nihil intentatum reliqvit, unâ cupidine actus animum plenâ omniũ notitia ſatiandi. Et jam annus adoleſcebat LIX cùm ultimo Romæ vale dictô in *Thuſciam* diſcedens, intérqve transeundum temperatiſſimô *Senarum* aëre recreatus, *Florentiã*, Magni Etruſcorum Ducis Regiam, lætabundus aſpexit; nitorem municipum in veſtitu ac moribus non magis qvàm in loqvelâ elegantiam, ipſis Romanis laudatam, exoſculatus: &, qvod primo locô dixiſſem, ipſum Ducem, qvo nemo literis faventior, nemo juſtior

ſtior virtutum cenſor, liberali alloqvio veneratus. Nec tamen longa hic mora fuit, qvia aliò cogitabat GOYÆUS. Contemplatus ergò in eodem Ducatu magni qvondam nominis urbes *Piſtorium*, *Lucam*, *Piſam*, (*hanc* tropheis a Saraceno ad Panormum reportatis illuſtrem, *illam* populari regimine inclytam & *delicium Thuſcis*, *iſtam* Deſiderii qvondam Regis Longobardorum favoribus claram) *Liburnum* deſcendit nobilem Etruriæ portum: unde, inventa fortè Gallicâ cataplo, per Liguſticum mare Galliæ Narbonenſis urbem non ingloriam *Maſſiliam* petebat. Cujus brevi deguſtatis deliciis, *Lugdunoq*; tertia vice ſalutatô, *Pariſios* iterum advolabat. His autem,

tem, poſt redintegratam, qvam ante triennium aluerat, cum magnis Viris conſvetudinem, relictis *Caletum* abiit, & inde in oppoſitam *Doveram* Britannici maris anguſtiam transfretavit. *Londinum* itaq; adveniens ſub initium Octobris Anni LIX advertit præcipuè ad ſtatum Angliæ civilem animum, Regiâ autoritate ex diuturnis anarchiæ fluctibus nondum in tuto collocatâ, aut, cui jure competebat, reſtitutâ. Inſpexit curioſè, qvicqvid in Urbe primæ magnitudinis, & cui par vix alia, vel ad Civium commoda providè ſancitum, vel ad mores ſalubriter proviſum, vel ad magnitudinem Gentis tuendam in uſu poſitum. Inde in circum ferè inſtitutâ viâ, Urbe profectus beatiores Inſulæ provin-

vincias, & ſpectatiora earundem oppida, *Salopiam* mirabili Templo celebrem, *Briſtoliam*, *Bathoniam*, ubi thermæ nobiles, *Vindeſoriam*, illuſtriſſimi Ordinis *Periſcelidis* auguſtam Exedram, cum Arce præcipui nominis, utramq; Angliæ Univerſitatem *Oxoniam* & *Cantabrigiam*, (qvibus inter Apollinis domicilia nihil usqvã ſplendidius, nihil inſtructius, ſive Collegiorum numerum & opulentiam, ſive Doctorum freqventiam ſpectas,) iſtâ obſervandi omnia, animiq; eruditis colloqviis expoliendi ſolicitudine perluſtravit GOYÆUS, ut nullibi minùs pœnitendum ſibi iter fuiſſe meminerit. Qvô peracto reddidit ſe *Londino*, ſed nonniſi ad paucos dies. Nam, redituras in Belgium, per *Colceſtriam*

Har-

Harwichum properavit; indéqve phaſelum nactus, proſperâq́; uſus aurâ, *Moſæ* oſtium invehitur & Brielæ ſiſtitur: nec diu, cùm, *Roterdamo Delphisq́*; *Batavorum* viſis, *Hagæ Comitis* adeſt ſub exitum Anni LIX, hoſpes non minùs acceptus, qvàm in ſingula intentus, qvisnam Ordinum conſeſſus, qvæ cum Principum Legatis tractandi conſvetudo, qvales & qvot in Senatu lecti, qvæ Arauſionenſis Principis in adminiſtrando autoritas, & qvæ reliqva ſunt, qvibus iſta ſe Respublica ab aliis ſecernit, vel ſuper alias evehit. Hæc inter tertius menſis effluxerat, cùm ad vicinas ſub Hiſpani lege Provincias avidos deflectens oculos *Bruxellas* ſe contulit; unde poſt menſtruam eamq; non infructuoſam ſta-

ſtationem, ad primarias in circuitu Civitates divertit, hic municipiorum, qvibus qvæq; artibus & conſiliis ſuam ſibi fortunam adſtrueret, illic propugnaculorum, cujus ſingula roboris eſſent, qvantisq; præſidiis inſtructa, accuratè rationem habens; nullamq; paſſus elabi diem, qvâ non aliqvam ſui inſtituti lineam duceret. Tandem, ſat datum exteris conjiciens, operamq; ſuam Patriæ maturuiſſe, tot itinerum moleſtiis, tot impenſis, tot curis exaſciatam perfectamq;, cùm & Optimo cuiq; ſuus inſideat patriorum amor penatium; *Hagæ* ſe reddidit, rebusq; ſuis unius menſis impendio diſpoſitis, per *Lugdunum Batavorum*, *Harlemum*, *Amſtelædamum*, trajectô auſtrali, qvod vocant, freto *Stave-*

ram appulit; qvæ *Friſtam Occidentalem* brevis moræ hoſpiti aperuit. Qvippe tenax propoſiti, cunctatione abjectâ, peragratis *Friſiæ* utriusq;, *Oldenburgenſi* & *Bremenſi* territoriis; *Hamburgo*, ut Emporio celebri & patrii Regnatoris non inficiandæ hæreditati, nonnullam feſtinati itineris ſuſpenſionem indulſit. Et mox per *Holſatiam*, *Sleſvicenſem* Ducatum, natale ſolum *Fioniam*; *Sielandiamq;*, *Hafniæ* ſe ſtitit III. Nonar. Sextil. An: LX. ex longinqva & diuturnâ peregrinatione ſoſpitem: in nulla tamen re magis tripudiantem, qvàm qvòd patriam licuiſſet reperire ab hoſtili oppreſſione liberatam, & non una triumphatione ovantem; imò, qvòd caput ſalutis erat, paulo poſt meliore rerum fa-

facie ad præſentiſſimas ſpes erectam. Vidit enim Regem, qvem ſecula viderant optimum; ejusdem anni menſe Octobri; in ſummæ cunctisq; legibus humanis abſolutæ poteſtatis ſolio reſidentem; vidit, exſultavit; & obſeqviosa ſubmiſſione adoravit. Nec mora; qvam dudum in tanti Principis gratia ſpem habuerat, ſtatim ab ejus in aulam reditu in fructum conſpicuum erupit.

Erat ille glorioſiſſimæ memoriæ Monarcha FRIDERICUS III. ſi qvis unqvam, acerrimus ingeniorum Cenſor, qvi, cum virtuti jam maturum GOYÆUM conſpiceret, iniqvum judicavit, eum nondum honori tempeſtivum videri. Admiſit itaq; inter Cubiculariorum ſuorum Decuriones ſive

Præ-

Præfectos cubiculo; qvorum præcipua dignitatis pars, Principi qvotidianis vel ſucceſſivis proximè adeſſe miniſteriis, deinde curare admiſſiones, & ad ea, qvæ ſplendidè in Aula geruntur, cum qvadam præ aliis dignitate concurrere. Heic Noſter primam ſortitus copiam in publico, adeoq; vel maximè in oculis circumſpectiſſimi Principis egregias animi corporisq; dotes exſerendi, ita exſeruit, ut, licèt obſeqvio nullus promptior, negotio nemo ſufficientior, egerit tamen, qvæ agenda, ſine ulla oſtentatione, ipſo actu otioſo ſimillimus, extra invidiam, non tamen extra gloriam, alacris & excitatæ ſedulitatis. Bienniô elapſo, cum placuiſſet Sacræ Regiæ Majeſt: ſplendidiſſimam ad

Gal-

Galliarum Regem decernere legationem, Duce ſummæ fidei ac ſagacitatis Heröe Dno HANNIBALE SEHESTED, conſtituendusq; eſſet ex prima nobilitate aliqvis, qvi, a Duce proximus, extraordinariam AULÆ pompam & curialia inſtituta Legationis (*Mareſchallum* hodie vocāt) ſive ordinaret, ſive ornaret; iſti honorifico munu[illegible] par, præ GOYÆO, nemo habi[illegible] fuit. Mandato itaq; Regio, ut de[illegible]ebat, morem gerens Lutetiam Pariſiorum ſe contulit, conſors magni SEHESTEDII individuus; partibusq; ſibi injunctis, qvanqvam difficillimis, eâ dexteritate, eâ conſilii præſentiâ, eô cum decore defunctus eſt, ut nihil, qvod in ceremoniarum choragio, vel muniis Aulæ, vel ſplendore

apparatus Majeſtatem Legationis tueretur, omiſſùm tam ab ipſis Gallis, apud qvos in cultu omnia circumſpecta, qvàm à Noſtratibus, qvi intererant, prædicaretur. Qvas inter curas concatenatas cùm verſaretur Noſter, magni inſtar autoramenti habuit, Principem Regnorum tunc Hæredem, hodie Monarcham noſtrum Auguſtiſſimum, (qvi inſtituto per nobiliores Chriſtiani orbis Provincias curſu, Solis inſtar ut Sponſi è ſuis thalamis egreſſi, ſuæ ſingula Serenitatis aſpectu illuſtrabat, & Pariſiis tum fortè ſubſtiterat,) humillimis obſeqviis præſentem faventemq; devenerari. Hæc inter biennium alterum vix abierat, ſolenni iſtâ extra ordinem Legatione ad optatum finem perductâ,

cùm

cùm novo Regiæ Majeſtatis juſſu ordinarius ad eundem Regem Chriſtianiſſimum Orator conſtituitur Anno LXIV. qvæ ex re vel arbitrio Domini ſui eſſent, vel mutuis inter utrumq; Regem pactis niterentur, ſolicitè, impavidè, prudenterq; curaturus. Qvam provinciam ut ſuſcepit alacriter, ita per qvinq; annos geſſit ſine faſtidio, ſed non ſine encomio. Ardua res eſt, Oratorem in aulis politioribus agere; qvanta enim hic opus eſt experientia, ut ne qvid vel in exceſſu, vel in defectu peccetur? qvantâ ſagacitate, ut ne politicis Miniſtrorum artibus circumveniaris? qvantâ circumſpectione, ut ne à præſcripto Domini vel latum ungvem diſcedas? rurſus qvantâ fiduciâ, ut inter ve-

re-

recundiam, rebus civilibus parum idoneam, & contumaciam, qvæ minimè ad Aulam facit, medium teneas, id eſt firmam frontem? qvantâ deniq; eloqventia, qvæ ſæpè tantum valet, ut de Carneade, Athenienſium ad Romanos Oratore, dixerit qvondam M. Craſſus palàm in Senatu, *ob diſſerendi facultatem facilè eum, qvæcunq; vellet, impetrare poſſe?* Hæc GOYÆO animadverſa tanti ponderis videbantur, ut, cùm fidem omnibus anteponeret, in reliqvis omnes antecellere æſtimatus fuerit; hoc tamen uno ſe maximè felicem duxerit, qvòd ſuo Regi oculatiſſimo ſe placere haberet exploratum. Etenim Anno LXIX. ex Galliis evocatus eandem ſtationem apud Ordines Belgii Fæderara-

rati, clementisſimô Regiæ Majeſtatis reſcripto ſibi demandatam, eadem, qvâ in Galliis, fidelitatis juxta ac prudentiæ cum laude tutatus eſt ſupra trienniũ ad Annum usq; LXXII. accreſcente interim continuis iisdemq; ponderoſiſſimis occupationibus novâ negociorum mole, cùm excedente mortalium curis glorioſiſſimo Rege FRIDERICO III. Auguſtum Monarchiæ ſolium clementisſimus Rex noſter, hodie feliciter imperans & imperaturus, qvoad noſtra vota valebunt, qvàm diutisſimè, conſcenderet. Qvâ qvidem regnandi viciſſitudine GOYÆUS expertus eſt, non gratiam Domini ſui, ſed Perſonam defeciſſe, nec licèt alium Herum, aliam contigiſſe fortunam. Hanc

enim, qvalem ſibi ab initio finxerat rectè agendô, ſenſit ſub novo & auſpicatiſſimo Auguſti noſtri Regimine, non modò non de ſtatu ſuo dejectam, ſed & recentibus indulgentiæ Regalis beneficiis ad majora ſui incrementa ſenſim emergentem. Anno enim, qvem diximus, LXXII. de ſingulari Regiæ Majeſtatis in ſe affectu certior factus, ſimul & de transferenda ad Magnæ Britanniæ Regiam ordinariâ, qvam in Belgio obierat, Legatione, paruit mandatis; fixáqve Londini ſede, qvâ uſus erat erga glorioſæ memoriæ Patrem, eâdem & erga glorioſiorem Filium obſeqvii incorrupti gloriâ Spartam ſibi commiſſam adminiſtravit: ſemper idem, niſi qvòd in iſto ferè ſexennali intervallo, qvô in-

inter Anglos publicâ muneris dignatione vixit, cælibis, qvam hactenus egerat, vitæ pertæsus, inter istius Insulæ fortunatæ Nymphas unam sibi elegerit thori sociam Nobilissimam & Elegantissimam Dominam ELIZABETHAM MARIAM THAMSONIAM, qvam fatô ereptam illi post decem annorum jugales amores vidit nostra Hafnia. Sed post absolutam apud Regem Britannicum rerum Danicarum procurationem, novum auctiusq; decus GOYÆUM nostrum exspectabat.

Nam qvô tempore inter Europæas Gentes Pax, longô jam satis exilio damnata, revocari & *Neomagi* coälescere cæperat, Rex noster Augustissimus exqvisitam nostri Heroïs in negociis publicis

cum

cum fructu verſandis ſolertiam, & tot laboribus induratam, tot experimentis abundè declaratam fidē recognoſcens, ampliore, qvàm hactenus, titulo honoris decoratum ad Catholicum, ut vocant, Hiſpaniarum Regem legavit. Per Galliam autem cùm eundum Ipſi erat, detinuit certum maximi momenti negocium, Regis ſui nomine ex tempore apud Gallorum Monarcham conficiendum; qvô tamen, ut ſolebat, ad votum brevi confectô, reliqvam viam ingreſſus, *Pyrenæos* tranſcendit montes, atq; *Tarraconenſis* Hiſpaniæ latiſſimâ parte peragrata *Mantuam Carpetanorum* aſſèqvitur. Heìc, ubi inter ceremoniarum ſolennia receptus, & qvâ tanti Regis Legatum extraordinarium decebat magni-

gnificentiâ, cum honoratioribus Legationis aſſeclis & Nobilibus Ephebis in Aulæ intima penetrâſſet, per alterum qvinqvennium, publicis Regiæ Majeſtatis apud Gentem tunc fæderatam commodis, expedita in omnes partes curâ, invigilabat. Longè ipſi omne moleſtiarum tædium, longè viginti & unius meſſium à patriis aris focisq; continuata abſentia: una voluptas fuit, ad nutum Regis ſui ſe per omnia compoſuiſſe, & fidem retinuiſſe, ut debuit, inconcuſſam. In fabulam iverunt Ulyſſis peregrinationes, ſed vix tamen cum Herois noſtri comparandæ; ut, qvod de illo cecinit Ovidius:

Exemplum eſt animi nimium patientis Ulyſſes,

in Noſtrum rectisſimè qvadrare videatur. Tandem Anno Secul. LXXXIII. conſumptâ ferè inter exteros ætate, reviſendi patrios lares data facultas, actis ob hoc Optimo Regi gratiis; cujus benignisſimis velut refocillatus alloqviis, dehinc reſidua, qvæ ſperabat, vitæ momenta qvietioribus ſtudiis deſtinare optabat: qvanqvam nullibi inqvies animo, à rectè actorum conſcientia luculentum habenti teſtimonium. Sed individua virtutis comes gloria, Virum tam præclarè meritum non paſſa eſt deliteſcere inglorium. Eſt hæc inter laudes Regnatoris noſtri non poſtrema, Magnorum Virorum meritis juſta ſtatuere pretia, & intemerata ſuorum, ſibi qvamvis debita, obſeqvia illuſtris-

ſtriſſimis pignerari favoribus. Revocaverat, ante tria propè luſtra, ex diuturna ſeculorum caligine, vetuſtiſſimi inſtituti *Ordinem Danebrogicum*, auctiusq; effecerat illud olim magnanimæ in bello fortitudinis ornamentum, nunc eminentiorum in toga vel ſago virtutum ſolenne autoramentum. In hunc Ordinem allectus magnificè GOYÆUS, paulò poſt inter Purpuratos, qvibus arcana maximi Principis innituntur, cooptatus, utrámqve Provinciam Lalandiam Falſtriamq; ſingulari Regis indulgentiâ ſuſcepit adminiſtrandam. Credetísne Poſteri, Indigeti noſtro, poſt tot conſummatæ prudẽtiæ ſpecimina, tot à prima Juventute exantlata vigiliarum curarumq; inſignium tædia, tot apud Gal-

Gallos, Belgas, Britannos, Iberosq; relicta magnarum virtutum vestigia dicam, an munumenta? credetísne, inqvã, precariô fortunæ ridentis donô hæc dignitatum officiorumq; fastigia, &, qvod omnia excedit, perennem summi Monarchæ favorem obvenisse? Vel putabitísne hunc tantum Virum, ut erat honorum satur, ita satis habuisse, qvòd maximis pro Rege & Patria laboribus & honoribus amplissimis jam esset perfunctus? Absit de bono Viro, nedum de magno Patriæ lumine insulsa opinio. Lucet purioris temperamenti candela, ubi semel accensa, nec lumen per tenebras spargere desinit, donec aliis inserviendô consumitur. Ita Noster GOYÆUS suâ illa splendida luce non ad eru-

eruenda Dîtis infidi compendia, non ad obſcurandam aliorum, ſi qvam habebant, lucem, nec ad ſuæ tantùm ſuorúmve felicitati invigilandum eſt uſus. Aulam interrogate; qvis in illâ Sapientisſimo Regi conſiliis ſtudiisq; præſentior? qvis fidei obſeqviiq; antiqvior? Interrogate Curiam; qvis in rebus graviſſimis expendendis conſultior? qvis in ſententia dicenda promtior? Areopagum conſulite, (ſupremum Tribunal intelligo;) qvis intricatas litigantium cauſas expedivit accuratiùs? qvis in tuenda patrii juris ſanctimonia operoſior? qvis in jure dicendo caſtigatior? Provincias, qvibus præfuit, perveſtigate; qvis in regendo innocentior? in procurandâ Principis aut populi ſalute vigilantior?

Deniq; dicant, qvod ſentiunt, noſtra hæc literarum publicarum acroateria, qvem habuere hoſpitem freqventiorem? dicant ipſæ literæ, qvem habuere vel Præconem faventiorem, vel fideliorem in Aula interpretem? Et vos Muſæ Herlovianæ, qvid tacetis? qvæ, ah! habuiſtis in GOYÆO noſtro, ut Tutorem hæreditarium, ita ſplendoris veſtri priſtini vindicem acerrimum. Veſtra certè pietas hoc præſtabit, illius ut ſemper honos, nomenq; floreat, & laudes maneant in terris immortales. Te ultimò compello, qvæ ultima Herois noſtri pro Tuis incrementis conſilia, & ultima excepiſti ſuſpiria, Academia Regia & Eqveſtris; cui, ex qvo ille, Regiæ providentiæ nutu, contigit re-

rerum Tuarum Moderator ſupremus, habuiſti præclariſſimam tum Tuæ felicitati gratulandi, tum uberiores ſucceſſus ſperandi materiam.

QVOQVÒ Nos vertimus, occurrunt triſtiſſima Defuncti deſideria. Accedunt ad publici luctus magnitudinem privata familiæ generoſiſſimæ lamenta, raptum qviritantes ſibi primarium decus & tutamen. Choragium ejulantium ducit Per-illuſtris & Generoſiſſima Domina JUDITHA DOROTHEA TOTT, ex vetuſtiſſimo Danicæ Nobilitatis flore, Satore Illuſtriſſimô & Excellentiſſimo Domino CANUTO TOTT, Domino de Knudſtrup & Gaunöe, Eqvite Aurato, S. R. M. Conſiliario Intimo, Status & Com-

Commerciorum, edita propago, univerſâ dote Matronali ſpectatiſſima Virago; qvâcum Divus noſter ab anno labentis ſeculi LXXXVI. duodecennales habuit amoris conjugalis ſanctiſſimi, caſtiſſimi, nulla ſimultate temeratas delicias. Et qvid illam nunc creditis, præ continuato planctu penè enectam, & utraq; thori gratiſſimi pignora Generoſiſſimas Virgines CAROLOTTAM AMALIAM & SOPHIAM GOYÆAS langventib⁹ ulnis complexam, qvid creditis, inqvam, aliud inter ſingultantia lacrymabundi oris ſuſpiria ingemiſcere, qvàm: *qvò fugiſti mea Lux? qvid deſolatam deſeruiſti miſellam, qvæ Te omni affectu coluit? Vel, ſi mei obliviſceris, qvid tenellas adhuc Tui ſangvinis, Tuæ*

Vir-

Virtutis hæredes deſideratiſſimo Parente orbas deſtituis? Satin' Tibi viſum, pretioſiſſima Anima, è noſtro conſpectu, & a corporis Tui ægrâ compage maturiùs ad Abrahamicas in cælo epulas avolaſſe, ut Nos hic inexhauſtis gemitibus lacrimisq; damnatas relinqveres? Sed ſiſte, Heroina, lacrimas nihil profuturas! Non fugit ille, qvi, ex hac ſtatione mortali, Imperatorem ſecutus evocantem, dudum vaſa collegerat, & neceſſariô viaticô ſe inſtruxerat. Vidiſti, & vidimus, qvàm non ad prima hujus ſacræ profectionis maturandæ nuncia expalluit, cùm ab ipſis hujus anni Calendis interna vis morbi, nunc breves inducias concedens, nunc tanqvam ex inſidiis agens, delaſſatos artus lecto affigeret: qvàm

poſtea inter exqviſitiſſima Machaonum remedia non ad ſpes redierit inanes, ſed metæ potiùs deſiderârit adſtitui, ad qvam ſola meritorum Chriſti fiducia anhelabat. Nempe hæc animi, per omnem vitam divino amore inflammati & Filii DEI piaculari ſangvine emundati, plusqvam humana erat fortitudo. Sic ille Divinæ originis Spiritus, naturæ ſuæ memor & jam jam ad ſumma emicaturus, interim, qvantum per moras membrorum & hanc circumfuſam gravem ſarcinam licebat, celeri & volucri cogitatione, juvantibus qvi aderant Theologis, Divina perluſtrans, paratam in diſceſſu libertatem præſtruebat; qvam & tandem ultimo animæ evolantis niſu, verbis *evaſi tamen*, adſtantibus ſignifica-

cabat beatus Heros. Diſceſſit autem IV. Calendarum Maji, dormienti qvàm morienti ſimilior; ut, qvam mitisſima anima, in corpore reſidens, placidam per omnes caſus tranqvillitatem poſſederat, in ipſis ultimi certaminis anguſtiis retinuiſſe videatur. O Te felicem & fortunatum, GOYÆE, qvem caduca ſecum in terram non traxerunt, qvem peritura non perdiderunt, qvem fluxa non abripuerunt, qvem peritura non præcipitem egerunt, nec inania inflârunt, nec moverunt incerta & vana non fefellerunt. Ortum genere, genus Virtute, Virtutem honore nobilitaſti. Obitum religioſâ contentione, contentionem ſanctâ qviete, qvietem beatiſſimâ gloria coronatam ſenſiſti.

Fru-

Fruere jam feliciſſimo primogenitorum, in cælis conſcriptorum, cætu; fruere jucundiſſimo Angelorum, qvorum ferè in naturam transſiiſti, conſortio: fruere Deo & Chriſto, cujus glorioſo aſpectu æternùm recrearis!

Nefas proinde, ô Optimi, qvos proximè afficiunt Tanti Herois deſideria, nefas diutiùs accuſare fata; ſtant dura & inexorabilia, nemoq; ea conviciô, nemo cauſâ movit. Nefas Illius, ex inqvieto hoc & alternis æſtibus reciproco mari in æternæ felicitatis portum recepti, manes fatigare ſuſpiriis. Sed, qvid *fatigare* dico? Illic nulla eum ſuſpiria fatigabunt, nec ira torqvebit, nec morbus affliget, nec ſuſpicio laceſſet.

Non jam illum edax & inimica ſem-

ſemper alienis progreſſibus invidia conſectabitur, non metus ſolicitabit, non levitas fortunæ citò ſua munera transferentis inqvietabit. Cavete ergò, ne immoderatô luctu ſortem illius vel putare malam, vel dolere bonam videamini, injurioſo utrinq; vel amoris affectu, vel odii. Et verò, miſeriarum habere adhuc ſocium mâlle, qvàm in felicitatis, cui aſſertus eſt, partem aſpirando venire, furoris eſt, ne dicam invidiæ intolerabilis. Lugeantur, qvibus benè agendi occaſio defuit, vel induſtria, vel voluntas. Mortui cenſeantur, qvorum nulla virtus unqvam vixit, qvorum nomen oblivione deletum eſt, qvorum fama in ſepulcro jacet. At verò gratulabundi, qvibus decet

encomiis, efferamus Eum, cujus omnem exactam Heroicis factis ætatem DEUS ipſe æternitati conſecravit. Nobis interim, qvi brevi ſuperſumus, in Magnorum iſtiusmodi Virorum mortalitate identidem revocatur in mentem communis naturæ fragilitas; ut diſcamus benè mori, cùm irrevocabilis eſt moriendi neceſſitas. In *ortu* qvid ſumus, niſi *pulvis*? in *flore* qvid niſi *pulvis*? in *occaſu* qvid niſi *pulvis*? *Terra* fuimus, *terra* ſumus, *terra* erimus. Ideoq; Propheta intonat: *Terra, terra, terra, audi verbum Jehovæ!*

DIXI.